

fit : Se Ariminum & Faventiam non ab Romanis Pontificibus, sed ab latrone omnium teterrimo avertisse : alterum, ne a Florentina civitate, sibi propter recentem Pisani belli memoriam inimicissima, quæ eo suas copias miserat, intercipetur : alterum, permutatione oppidi cum ejus regulo facta in reipublicæ finibus. ea oppida ante Cæsarem per vicarios obtineri consuevisse. si se illorum vicarium fieri Senatus velit, nihil novi petere : id pro ejus plurimis in rempublicam Christianam meritis æquum esse ei tribui, quod saepe aliis nihil merentibus sit datum : neminem in Flaminia vicarium, neque ad eam ipsam reliquaque Romanæ ditionis oppida defendenda firmiores, quam Senatus sit, neque qui majori illi usui, res exigat, possit esse, bac Julium tempestate habiturum. Quænam invidia sit, quod temere cuilibet, ac sine ullo usu condonatur, id & præteritis reipublicæ promeritis & spei futurorum, cum se occasio dederit, proventuum & commodorum pernegari ? Ipsum præterea Julium suasorem Senatui per legatum abripiendi ab Cæsare Flaminiam extitisse : post id, præter illud, cuius ipse hortator fuit, nihil novi accidisse : ut non tam Julius habere causam, cur a sententia recedat, quam quonam modo reipublicæ noceat, querere ac meditari videatur. Petere itaque rempublicam ab Aloisio quidem, ne foederis religionem, quod ei cum Senatu est, propter Julium tam injuste se efferentem violet : a Maximiliano autem, ut amicus reipublicæ quæ finitima illi est, atque benivola semper fuit, bona in causa malit esse, quam Julio, qui longe ab ejus regno abest, in periniqua, si fides inter homines atque constanza suum jus obtineant. Qua accepta excusatione, uterque a se reipublicæ causam apud Julium defensum iri liberaliter pollicitus, Senatum paulo quietiorem reddidit. Illis diebus, propterea quod Nicolao Ursino, qui Ravennæ erat, reipublicæ copiarum præfecturæ tempus explebatur, ob ejus fidem atque constantiam, quod a compluribus civitatibus & regibus, ut ipsorum stipendia faceret, magnis pollicitationibus invitatus, rempublicam deserere noluerat, per triennium imperatorum ei nomen cum stipendio annuo auri librarum quingentarum Senatus dandum censuit.